



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv**

**Marchetti, Annibale**

**Florentiæ, 1687**

Capvt IX. De Prodigijs eius obitum subsequitis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43962**

356 LIBER TERTIVS  
sed sacrare, Divinos e Divinis manibus relatu-  
rum.

C A P V T IX.

*De Prodigijs eius obitum subsecutis.*

Quã alijs  
prodigia,  
ei prodigi-  
osa vir-  
tutes fa-  
mã colle-  
gerunt.



Am in vulgus existimationem,  
& famam, quam sanctissimi  
quique viri rebus supra ordi-  
nem naturæ gestis collegerunt,  
Aloysio adhuc viventi sine ul-  
lo miraculo contigisse, argu-  
mento est, egregias virtutes, quibus erat or-  
natus, prodigiorum munus subijisse. Verùm  
eo, eiusque virtutibus de medio sublatis, ne  
fama quoque unã cum illo intercideret, non-  
nullis divinitus factis prodigijs nutrienda fuit.  
Longum est, ac propemodum infinitum om-  
nia, quæ in tabulas relata vidimus, recensere:  
illa tantummodo perstringemus, quæ maximè  
testata, ac pervulgata novimus: quippe eorum  
fidem cum sacrorum Antistitum authoritas præ-  
stat, tum hoc præterea quod publicam lucem  
tunc sustinere valuerunt, quando adhuc supe-  
rerant, quibus contigisse prædicabantur.

Primum signorum Christi exemplo suæ ad-  
uersis

uersus Matrem pietati significandæ edidit B. Primū Signorū aduersū Matrem edidit.  
 Adolescens: cum enim illa mœrore confecta ex subitâ Castri Godefridi defectione unâ cum infelici exitu Rôdulphi filij ibi ex insidijs matati in ultimum vitæ discrimen venisset; iamque sacro Eucharistici Panis Viatico instructa, ac salutari Chrismate delibuta propè esset, ut animam ageret; repentè Aloysium sibi antellectum immensâ luce, ac decore fulgentem, astare conspicata; eo aspectu tantâ lætitiâ exiuit, omnibus filij bonis in sua quodammodo Parentis iura translatis, ut animi ægritudine radice morbi discussâ, illico tantæ pulcritudinis miraculo conualuerit.

Par deinde grati animi documentum dedit, dum precibus Mariæ Magdalenæ de Pazzijs, ceterarumque sociarum Virginum eius studiosissimarum unam ex illis gravissimè ægrotantē, ac deploratam ad salutem reduxit. Ea erat Angela Catharina cognomento Carlinia, Virgo ætate puellari, eoque recens a tyrocinio, & adhuc sub Magistræ cura. Hanc postquam quatuor annorum spatio gravis dolor, qui lævam corporis partem a vertice ad pedes obtinuerat, exercuisset; nocte quâdam omni in sinistram maxillam dolore incumbente, tumor magnitudine ovo, duritie saxo persimilis repen-

Sac: Virgine pestifero cancro carcinoma momento liberat.

te exortus omnia carcinomatis insignia protulit. Dolor ibi erat acerrimus, infirmita praeterea, nausea, & ad motum quemlibet corporis infirmitas extrema. Binos cum dimidio mentes rem silentio presserat: mox religione tacta, Magistæ suæ, atque hæc Virginum Maximæ, ac Mariæ Magdalenæ de Pazzijs aperuit: hæc autem conspecto carcinomate, cuius vi paucis ante diebus aliam eiusdem cœnobij Virginem elatam meminerant, exterritæ, atque ab humanis auxilijs desperantes, ad superna sibi procuranda ægram Virginem cohortantur, suggeruntque, ut Aloysium Gonzagam deprecatores asciscat. Paret puella, & post preces fufas assumptâ lipsanothecâ, ubi B. Adolescentis reliquiæ habebantur, tumorem in Crucis modum obfignat: inde dolor nonnihil remiffus spem obtinendæ salutis plurimum erexit: cumque inter Virgines conveniffet, medicorum manibus ægram in fequenti luce permittere; illa amplificandæ Aloyfij gloriæ cupiditate incensa, diem totum orando, obtestandoque omnibus precibus ab eo exegit, ut, quod inchoaverat beneficium, perficeret: quas preces cum sub folis occasum magnâ spe obtinendæ salutis iteraffet, visa sibi est Aloyfium in animo fuo his verbis alloquentem audire:

*Deus*

Deus Opt. Max. quidquid fiducia mei, studioque gratia, qua apud eum valeo, patefacienda postulasti, libens gratificatur, speique de me concepta red-dita salute compotem facit. Sub hæc pectus sibi puella aperiri, tumoremque tantâ violentiâ, ac dolore, quâdam veluti iniectâ manu, eripi sensit, ut semianimis diutiùs iacuerit: quo tamen tempore, languidâ, ut licebat, voce, se in pristinam valetudinem restitutam sæpiùs significavit: idque ubi refocillata ordine exposuit, incredibili lætitiâ omnes perfusæ Deo, Beatoque Adolescenti laudes, grateque persolverunt: & ne memoria tanti meriti, ac prodigij unquam intercideret, de communi sententiâ constituunt solemni intra Cœnobium pompâ B. Aloytj lipsana pridie eius diei, qui ipsi sacer est, magnâ cum religione circumferre; eundem præterea diem ieiunæ traducere, atque insequentem feriatum habere. Miraculi fama Archiepiscopi Florentini autoritate, & litteris munita universam Italiam illico peragravit, perlataque Castilionem ad Franciscum Fratrem, qui id temporis rerum potiebatur, tantâ eum voluptate affecit, ut domo satis cõmodâ nuntium donaverit.

Singulis æ-nis miracu-li memo-ria in mo-nasterio ce-lebratur.

Fr: Gonz: huius mi-raculi nũ-cio domũ largitur.

Cursim nunc reliqua persequemur tœdium lectoris celeritate præuenturi. Prima, quæ vo-tivam

Puerperā  
a mortis  
periculo e-  
ximit.

tivam tabellam, accepti beneficij monumen-  
tum, suspenderit, Nobilis foemina prodita,  
quam extincta in utero proles tantis doloribus  
oppresserat, ut superueniente sanguinis pro-  
fluvio iam ad extrema spectaret: votā, quam  
diximus, si eniteretur, tabellā, sine ullā of-  
fensione feliciter enixa est.

Ophthalm:  
seu vitiū  
oculorum  
fanat.

Hanc sequitur plebeij quidam generis vir,  
patriā Senensis, cui Antonio Urbano nomen.  
Huius pessima ophthalmia omnia medicorum  
tentamenta eluserat. Nubecula quaedam utri-  
que oculo infederat, unde perpetuus lacryma-  
rum, ac pituitæ defluebat imber: calor inde,  
inflammatio, ac dolor lecto spe omni destitu-  
tum, ac incoerentem tenebant: quo animi, &  
corporis habitu cum preces Aloysio fudisset,  
precantemque oppressisset somnus, post modi-  
cam quietem firmus, ac valens, perinde, ut  
si nunquam ægrotasset, evigilavit.

Ex renibus  
laboranti  
succurrit.

Nobilis item Romanus, cum ex renibus sa-  
tis diu laborasset, Divinoque Spiritu instin-  
ctus Aloysio supplex vovisset, si conualesceret,  
memorem beneficij tabellam ad eius tumulum  
appensurum, evestigio convaluit: & quia fi-  
dem præstare distulit, iterum dolor incubuit,  
nec ei antea modus factus, quam post delatam  
quam voverat, appensamque tabellam.

Vir

Vir Lucensis nobili pariter loco natus Lælius cognomento Guidiccionius, pluribus simul exercebatur incommodis : acuta illi erat, ac perniciofa febris : capitis dolores acerrimi, itemque cordis veluti inter vepres versantis : suspiria, gemitusque pectore ab imo ducti: gravitas præterea, auditus, creber anhelitus, insomnia, ceteraque mortis signa eam in propinquo esse denunciabant : cuius proinde, Sacris Eucharistiæ, & Confessionis mysterijs instructus, in metu, atque expectatione erat. Vix dum collo sacras Aloysij reliquias suspendit, morbo levare sensit, atque insequenti luce Medicis indagantibus, ne vestigium quidem febris tam pestilentis reliquum fuit.

Pestilentē febrē plurimis malis comita tam pellit

Eædem reliquiæ unâ cum voto suscepto Marco Guffonio apud Venetos prænobili, tunc Patavij nostræ Societatis tyroni, morbum haud absimilem pari celeritate depulere.

Aliū simili morbo sanat.

Earum item contactu, votoque si revalesceret, singulis diebus ad eius sepulcrum quinquies Pater, & Ave ad annum recitaturum, appensurumque argenteum donarium Io: Iustinius e nostra Societate Genuensis urinam undecim ipsos dies calculi obiectu inhibitam soluit : magnâque humoris vi, unde corpus intumuerat, unâ cum calculo delectâ, momento temporis

Urinâ undecim dies calculo inhibitâ soluit.

poris propè a mortis limine est restitutus .

Item cal-  
culo præ-  
grandi li-  
berat .

Eodem morbo laboranti apud Augustam Taurinorum Philiberto de Baronis auxilio venit Aloysius , ad cuius in quiete conspectum asperum calculum pro fabæ modo crassum , cruentumque , atque unà cum eo acerbos , quos diù tulerat , dolores , mortisque periculum , depulit .

Febris he-  
ctica, ele-  
phantiasis,  
diarrhea,  
carbuncu-  
lis alium  
eximit .

Puerum Romæ ( Io: Franciscum Philippi- num dicebant ) febris hectica , Elephantiasis , ac diarrheâ miserabiliter uno tempore tortum , atque a Medicis deploratum , dens Aloy- sij eius collo suspensus , ingenti illorum admira- tione persanavit . Cumque eundem acuta febris alterum post mensem unà cum binis in dorso carbunculis palàm pestiferis inuasisset , nec re ullâ morbum emendari posse Medici dicitarent , earundem reliquiarum remedio , quod antea respondisse constabat , adhibito , mala omnia protinus cessere .

Acutâ fe-  
brim cum  
furore re-  
stinguit .

Franciscus Crottius honesto loco Brixia natus ex febris acutâ ad insaniam aëtus usque adeo furere cœpit , ut lecto teneri haudquaquam posset : cumque sacro duntaxat Chrismate es- set instructus , quòd reliquorum mysteriorum , qui mentis potens non esset , compos fieri ne- quiret , fufis Aloysio ab uxore precibus , vo-  
toque ,

toque, si evaderet, nuncupato, curaturam se in eius memoriam semel Divinam Hostiam immolari, illicò ad mentem redijt, itaque remisit febris, ut postridie ne vestigio quidem abijisse innotuerit.

Multa adhuc superesse video, quæ etiam ad institutam coacta brevitatem Lectoris patientiam fatigent. Indico quæ apud Cæpariû reliqua video: Vetulam nimirum septuaginta annis maiorem a morte, in quam ardentissimâ feбри, & sanguinis profluvio urgebatur, revocata: Civem Romanum illæsum post præcipitium servatum: Vincentium Mantuanorum Ducem, & virum alterum apud Polonos Principem sævissimis doloribus levatos: Romanum Doctorem feбри, dysenteria, aurium tynnitibus, alijsque morbis exemptum. Assertum præterea a Dæmonis tyrannide Florentinum adolescentem ex nobili Rodulphorum prosapia, qui ab eo decimum ferè, ac sextum annum obsessus indignè afflictabatur: & Brixientem puellam tibijs ita captam, ac debilem, ut nonnisi ligneis fulcimentis utriusque axillæ suppositis ingredi posset, integritati restitutam. Complures denique vehementissimè ad libidines, atque ad turpissima quæque mali Dæmonis arte sollicitatos, quibus in nullis, vel precibus,

Plura prodigia cursum indicata.

Vincentiû Mant: Duce[m] doloribus levat

Ad turpissimè teratis subvenit.

cibus, vel ieiunijs, ceterisque corporis afflictationibus auxilium esse videretur, Aloysij tandem inuocati ope (quam forte afflictationes illæ certè non irritæ promeruerunt, liberatos.

Plurimæ  
omnisge-  
neris cura-  
tiones Ca-  
silionensibus  
factæ.

Ad hæc idem scriptor enumerat supra quadraginta subitas, ac prodigiosas curationes Casilionensibus suis ab Aloysio adhibitas: inter eos plerosque febricitantes, & quidem febribus nonnullos exitialibus: recenset & arthriticos, & ischiadicos, & podagricos, & erisipelate, alijsque tumoribus in capite, collo, cruribus laborantes, & quosdam mente, ac membris propè omnibus captos, vulneratos, luxatos, fractos, atque inde largo sanguine manantes, ac moribundos: quibus omnibus humano defuitis auxilio præsentissimum remedium Aloysium fuisse publica acta testentur. Deinde adiicit paucis ab eius excessu annis ad quadringenta signa, vel tabulas votivas circa illius imaginem, beneficiorum monumenta, suspensas. Cui numero haud facilè sit aestimare quanta ad hæc usque tempora accessio facta sit. Illud mihi certò compertum, Aloysio cultum ubique gentium maximo cum ardore tribui: honores verò beatis viris apud vulgus non nisi beneficia vel accepta, vel ex acceptis expectata decernere. Quare qui velit in unum  
omnia

omnia congerere , quæ toto orbe terrarum in hominum genus Aloysij merito collata sint , haud parua volumina vel solis rerum , ac personarum notatis nominibus impleat , oportet .

His prodigijs veluti Dei annulo Aloysij Sanctitas obfignata Paulum huius nominis Quintum Pont. Max. permouit , ut illius vitam primum a cæpario scriptam imprimi , vulgarique permitteret , Beati titulo eius nomini præfixo : tum rogatu omnium ferè Christiani nominis Principum Apotheosim illi decerni petentium , causam cognoscendam viris gravissimis commisit ; qui accuratè cognitis , libratisque omnibus Aloysij gestis eâ longè dignissimum censuerunt . Interim de suorum Purpuratorum , qui sacris ritibus præfunt , sententiâ , sanctorum cultum , atque officia Aloysio in omnibus Provincijs Gonzagæ familiæ subiectis permisit , eâque deinde facultatem in universam Societatem Iesu toto Orbe dissipatam Gregorius XV protulit , brevisque Sanctorum fastis adscriptum iri , accedente ecclesiasticæ maturitatis tempore spes est minimè dubia .

Paulus V. Beati nomine eius vitam insigniri permittit.

Omnes ferè Christiani Principes eius Apotheosim petunt.

Greg. XV. Sanctorum cultum , atque officia illi decernit.

C.A.